



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Reverendissimo Et Amplissimo S. R. I. Prælato Domino, Domino
Hieronymo Imperialis, & Exempli Monasterii Beatæ Mariæ Virginis de
Cæsarea Abbatи Dignissimo S. C. M. Consiliario, Ac Sacellano Perpetuo, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

REVERENDISSIMO

E T

AMPLISSIMO

S. R. I. PRÆLATO

Domino, Domino

HIERONYMO

Imperialis, & Exempti Monasterii
Beatæ MARIAE Virginis de Cæsarea

ABBATI DIGNISSIMO

S. C. M.

CONSILIARIO,

AC

SACELLANO PERPETUO,

Sacri Ordinis CISTERCIENSIS
per Sueviam

VICARIO GENERALI &c.

DOMINO MEO GRATIOSO.

Non existimo, REVERENDISSIME ac AMPLISSIME DOMINE PRÆSUL, causam mihi prolixè erandam, cur in operis hujus fronte

* 2

nomen

QVI EPISTOLA

Nomen Tuum Amplissimum extare voluerit. Libello enim huic Heliotropii indeles est, ad radiantem solis discum faciem suam convertentis. Hinc ad Insulati Capitis Tui splendorem velut ad solem suum se obsequiosè convertere, ac ad lucidissimos virtutum Tuarum radios folia sua explicare voluit. Ac quemadmodum Heliotropium aureâ suâ foliorum in orbem diffusorum coronâ singulari plane naturæ artificio aureum solis vultum exprimit, ac vel ideo naturali quadam inclinatione, ac ingenito, ut ita dicam, amore in amicam & similem ejus faciem propendet: ita etiam Libellus iste, in quo Quintuplicis Theologiæ traduntur Elementa, Te, omnium harum Theologiarum Scientissimum velut Typus quidam repræsentat, ac vel hoc ipso nomine ad Gratosas Manus Tuas gestit pervenire, ampliorem lucem à Præsentia Tuâ, utpote Solis instar Clarissimâ, mutuam accepturus. Neque enim errabo REVERENDISSIME AC AMPLISSIME DOMINE PRÆSUL, si Te Soli comparavero, cum tot Tu Virtutibus, ac ille radiis coruscet; hoc tamen Te inter ac illum discrimine, quod is in altum evectus legem occidendi sibi habeat impositam, Tuæ autem Virtutes semper in ortu, occasum nesciant,

Has

DEDICATORIA.

Has sanè Virtutes Tuas dum intensius non nihil considero, idem mihi contingit, quod iis, qui, dum audacibus Solem oculis intuentur, nimio radiorum solarium splendore ita perstringuntur, ut velut densâ obruti nebulâ circumfusæ lucis nitorem non valeant amplius agnosceret. Hinc quia stupefacto, ac ad fulgidissimum dotum Tuarum lumen caligante animo laudes Tuas moliri non possum, aliquas saltem virtutes, quibus velut stellis lucidissimis Insulatum Caput Tuum resplendet, nistantibus oculis eminus intueri mihi licebit.

Nihil autem hic commemorabo de suavissima Humanitate ac Comitate Tua, quam Abbatiali Gravitati tam dextrè attemperas, ut omnines gratâ quadam necessitate cogantur Te revereri ac simul etiam amare. Nihil etiam hic afferam de eximiâ Benevolentia Tuâ, quâ Präfatus fastigium tam suaviter soles demittere, ut etiam me, licet servorum minimum, singulari hactenus amore complexus & favore profecutus fueris. Illud saltem concede REVERENDISSIME ac AMPLISSIME DOMINE PRÆSUL, ut inimitabilem Constantiam Tuam, quâ in armato hoc saeculo, ac funestis his Martis & Mortis temporibus concatenatis belli saevientis iuriis imperterritè obviasti, mihi liceat correpto

E P I S T O L A

stupore animo admirari. Sanè sicut petra aliqua decumanis pulsata fluctibus ipsâ patientiâ fortius indurescit; ita & Tu videbare in hac temporum acerbitate tolerandi consuetudinem in naturam vincendi convertisse: adeo enim non commovebaris belli calamitatibus, ut omnes adversitates, ad immotos Magnanimitatis Tuæ scopulos allisæ, suam visæ sint indolem exuisse, ac ipsum etiam calamitatum nomen amisisse.

Quid nunc dicam de laudabilissimâ Magnificentia Tuâ, quâ Cenobium novis excoluisti ædificiis: Ecclesiam pulcherrimis adornâsti struturis: Aras pretiosissimis nobilitâsti imaginibus? Certè dum stupendæ raritatis horologium profusissimâ liberalitate comparâsti, ac admirandæ majestatis facellum magnificentiâ vix non prodigâ excitâsti, quid aliud egisti
PRÆSUL AMPLISSIME, quam quod vel ipsi ferro ac saxis vocem impresseris, quâ Tuas in seram ætatem perennaturas laudes facundâ taciturnitate posteritati loquerentur? At parum erat novum splendorem Ecclesiæ conciliâsse, nisi & ipsos subditorum Tuorum animos exemplo duceres: religiosâ disciplinâ imbueres: ac omnis generis virtutibus redderes ornatissimos. Sanè quantâ solicitudine Divinum in

Ascete-

DEDICATORIA.

Asceterio Tuo augere Cultum , ac subjectos
Tibi religiosos ad laudes Superis, junctis voci-
bus ac animis , alacriter canendas excitare la-
bores, vel ex pretiosissimo Organo, Te juben-
te in Basilicâ magnificientissimè constructo ,
abundè licet cognoscere : in quo profectò, quot
reperiuntur canoræ fistulæ , tot inveniuntur
sonori, ac vel ipsâ variantium tonorum diver-
sitate in unum conspirantes testes, quibus in-
gens fervor Tuus, quem in promovendâ Divi-
nâ Gloriâ nunquam non prætefers, liquidissi-
mè probatur.

Illud insuper quantum est , quod Tuos tam
solicite cures instrui, ipse in literis Versatissi-
mus ? Præterquam enim, quod in ipso Cele-
berrimo Monasterio Tuo à Viris doctissimis,
Te volente , difficultates tam Philosophicæ
quàm Theologicæ uberrimo Tuorum fructu
enodentur : insuper etiam Tuos soles numero
bene magno Ingolstadium mittere, ut in famo-
sissimâ illâ Universitate optima quæque inge-
nia velut ampli ac opimi agri recepto defæ-
catissimo scientiarum semine efflorescant, ac
ad copiosam messem Cenobio Tuo inferen-
dam fiant matura. Sanè quantos in prælau-
dato Athenæo eruditionis thesauros Tui sibi
comparent, vel ipsa domus, in loco illo Tibi

E P I S T O L A.

subjecta , testis esse potest locupletissimus : utpote in quâ hoc ipso anni scholastici curriculo non pauci Tuorum partim Philosophicæ ac Theologicæ , partim etiam Juri Civili ac Canonico labore adeò improbo insudârunt , ut in Eruditione ac Scientiâ omnibus aliis , si non superiores , at certè pares fuerint judicati . Profectò intranti domum illam dubium suboriri dicitur , an Asceterium aliquod num verò Musæum ingrediatur : adeo enim Religio ac Eruditio locum illum perhibentur insedisse , ut videantur laudabilissimo certamine de primatu velle contendere , ac quævis præ alterâ victoriæ palmam obtinere .

Sed cur in spatio ac specioso meritissimarum laudum Tuarum campos conor excurrere REVERENDISSIME ac AMPLISSIME DOMINE PRÆSUL , cùm tamen breviori viâ mihi liceat ad præfixum finem pertingere ? Si enim hoc unicum dicam , quod in Celeberrimo Cæsareensi Monasterio Mytrati obeas Pastoris munus , Tuarum , nî fallor , Iliadem Virtutum in nuce exhibeo . Exhibeo , inquam , Præclarissimarum dotum Tuarum Iliadem in nuce , si dicam , quod in eâ Religione collocatus sis in alto Præsulatûs amplissimi fastigio , quæ velut exundans fluvius universam Europam adeò copiose

DEDICATORIA.

piosè inundavit, ut hodie Sacratissimi Cisterciensis Ordinis Monasteria 247. numerare liceat, omnia tum hominibus religiosissimis refertissima, tum bonis exquisitissimis instructissima. Si dicam, quod Abbas sis Amplissimus Ordinis sanctorum hominum adeò feracis, ut, teste R. P. Christophoro Henriquez in Menologio ad laudem Sacratissimi Cisterciensis Ordinis conscripto, Germania ejus Ordinis Sanctos numeret 350. Hispania 2123, Gallia 307. Anglia 45. Scotia 208. Hibernia 61. Polonia 130. Bohemia 4. Italia 35. Belgium 194. omnes Sanctitatis famâ celebratissimos. Si dicam, quod in Cænobio non aliam in terris quam Pontificiam ac Cæsaream Majestatem reverente, nec minus nobilissimorum privilegiorum multitudine, quam exquisitissimorum bonorum amplitudine illustri Abbatiali fulgeas dignitate. Si dicam, quod in Antiquissimo ac ob nunquam interrumpum religionis cultum famosissimo Monasterio, 34. habueris Antecessores, omnes tum vitae sanctitate, tum religionis zelo, tum in subjectos charitate celebratissimos. Si dicam, quod non per saltum, sed gradatim, postquam prius Oeconomi officium fidelissimè obiisses: Oratorem Ecclesiasticum zelosissimè egisses:

* 5

onus

E P I S T O L A

onus Confessarii constantissimè subiesses : ac munere Prioris laudabilissimè functus essem, ad Infulatam hanc Dignitatem ascenderis. Si dicam denique, quod in Mytratum Caput Tuum Magnanimitas cum Humilitate, Doctrina cum Pietate, Prudentia OEconomica cum ingenti in omnes Liberalitate unanimi concordia conjuraverint.

At quò abripior ad virtutum Tuarum splendorem attonitus : navem litori advertere tum modestia tum etiam imbecillitas jubet. Et, nì fallor, jam adverto, quod blandâ nauseâ fastidire sermones hos incipias. Quare abrumbo, non ignarus, decere potius admirari tantas virtutes, quàm linguâ balbutiente non sufficienter laudare. Id quod faciam, obsequiis posthac expressurus, quod dictione modo non potui.

Illud saltem adhuc precibus demissis à Te contendeo atque efflagito, REVERENDISSIME ac AMPLISSIME DOMINE PRÆSUL, ut libellum hunc in gratitudinis nunquam intermorituræ tesseram, in promptissimè ad servitia voluntatis testem, in obsequiorum debitorum pignus, in effusissimi denique versus Amplitudinem Tuam animi argumentum accipias, ac sicut ante hac, ita & imposterum adspirantibus Gratiæ

DEDICATORIA.

tioſæ Benevolentia Tuae Favoniis me, meoſque
foveas. Id quod ſi gratioſe facere dignatus
fueris, tunc pro tantâ gratiâ nunquam poſthac
ceſſabo ardentissimis cælum precibus impete-
re, ut tantum Patronum, ac Præſulem poſte-
ritatis aures laudibus Suis impleturum Sibi met
ipſi, Celeberrimo Cœnobio, ac denique Clien-
tibus devotissimis quam diutissimè conſervet
Sospitem. Ita vovet Dilingæ XIII. Calendas
Septembris, ipſiſſimo die Mellifluo Doctori Sa-
cro. Anno à Partu Virgineo M. DC. LXXIX.

Rev.^{mæ} & Ampliſſimæ
Dominationis Vestræ

Seruus humilius

JOAN. CASPARUS BENCARDI,
Bibliopola Academicus.